



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De spirituali collatione seu colloctione. XXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

DE FIDELI DISPENSATORE.

re. Sic enim discipuli interrogabant Dominum dicentes: *Ea, nobis parabolam xizaniorum.*

§. 21. De spiritali collatione seu colloquutione.

Confert etiam non modicam scientiæ vtilitatem, studiosa & vnanimis duorum sibi bene consentientium diuina collatio. Vnde Saluator noster ait: *Vbi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et alibi: *Dum hæc autem adhuc loquerentur, stetit Iesus in medio discipulorum suorum,* & ait: *Pax vobis,* & cetera, quæ de resurrectione eius plenius leguntur. Amor ergo in diuinis scripturis commendabilis est, per quem & carnalia & ociosa tanto celerius vitamus, quanto maior est in nobis. Senties in operibus tuis effectum meliorem, si diuinæ scientiæ fueris speculator & impiger imitator.

Matt.
Ioan.

§. 22. De quotidianis operibus quomodo fiant.

Cum opus tibi videtur, vt aliqua necessaria procures, vel etiam quædam ad meliorem durationem reformes; fac in Dei nomine sine multa quæstione, & cris liberior à retractione eorum, qui contradicere potuerint. Ex quadam leuitate quædam oppositionem faciunt, & nescio qualem probationem in alijs querunt. Qui ergo silere scit & facere, sapientem viam tenet. Hæc in quotidianis & leuibus obseruanda puto. Decet tamen fratris alicuius verba patienter audire, & propter virtutem humilitatis discendam, sequi interdum inferiorem: sed non semper, cum putatur fieri aliud magis inconueniens; quod bonæ & puræ conscientiæ melius relinquo, quàm imperitè consulam.

Que ex x.
quo factu-
rus es, ceta
alios.

§. 23. De consilio maiorum in spiritalibus causis considerando & recipiendo.

DE spiritalibus & maioribus causis, superiorum primò est voluntas consideranda; deinde ipsorum, si dubitas, requirenda sententia; vt quicquid iudicauerint, pro meliori accipiatur consilio. Si non acquieuerint vel satisfecerint interrogationi, expectanda est responsio. Fortè maturè se deliberant, perspicientes alia aequè ibidem concurrentia vel obuiantia, vt non tam facilis & certa possit solutio dari. Postquam semel aut bis sanè intellexerint negotium quærentis, non expedit nimis insistere ad informandum eos, ne generetur aliqua grauitas aut molestia ab vtraque parte. Quietius est ergo amodo tacere, & aliud consilium querere, sicut sanctus ait: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cælum & terram.* Cū defunt humana, diuina sunt inquirenda suffragia, vt effectū cōcedat salutarē causis necessarijs. Sed præcaue tibi,

Psal. 120.

vt